



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Henricus rex Academias aliquot suarum facit partium. Volsaeum munere submouet, non multo post defunctum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

causam apud ipsum per procuratores suos dice-
rent. Quæ Pontificis constitutio Brugis & Tor-
naci promulgata, & deinde in Angliam ad Sere-
nissimam Reginam transmissa est, ut per ejus ope-
ram Legatis innotesceret. Regina, quæ aliquan-
tum ex istis ærumnis emergere tum videbatur,
illustrem Senatorem, decus illud Angliæ, Tho-
mam Morum, ad Regem legavit, sciscitatum ex
ipso, utrum hanc revocationem sibi per Viatorem
aut ejusmodi publicum præconem nunciari vel-
let, nec ne. Rex dolorem, quem ex ea re capiebat,
dissimulans, Moro respondit, Nolle se ut sua
personæ fiat denunciatio, non recusare tamen, quo-
minus Legatis de more obnunciatur: ut autem
Romæ causa decidatur, vehementer sibi placere.
Hæc quidem Rex dicebat, sperabat tamen se apud
Papam, ut aliter eveniret, brevi effecturum. In-
terea Campegius per literas Pontificis ad urbem
omni cum festinatione revocatur. Cujus discessu
Rex offensus, jamque omni spe rei ex animi sen-
tentia conficiendæ excidens, odio Pontificis fla-
grare, atque ex eo tempore id, quod postea indi-
gnissime effectum dedit, animo concipere ac me-
ditari cœpit. Jam regii furoris universum onus
unus Volsæus sustinebat, Rege omnem horum
malorum culpam in ipsum conferente. Quod
quum multi ex Principibus viris (qui Volsæo Car-
dinali omnia ex suo arbitratu administranti jam-
diu invadebant) intellexissent, ita fortuna ejus
rotam impulerunt, ut tandem eam plane everte-
rint. Collatis enim consiliis, multa criminum ca-
pita in illum collegerunt, eaque suis chirographis
obsignata Regi tradiderunt: atque ita jam tunc
plagas contexuerunt, quibus deinde miser ille
implicatus fuit, cujus maximam ambitionem ma-
xima dedecora, & fortunam nimis blandientem
summæ miseræ exceperunt. Rex, cui ea res non
ingrata erat, tantisper tamen dissimulavit, do-
nec Campegius è Regno discessit: cujus etiam dis-
cedentis sarcinas excuti jussit, explorandi gratia,
si quid forte litterarum Volsæi deprehendere po-
tuisset, nullas autem deprehendit. Post Campegi
discessum, Volsæus ad Regium comitatum rever-
sus, quum nec in consilium amplius adhiberetur,
& negligi se ab omnibus videret, tunc demum sen-
sit intentum sibi esse Regem. Nec ita multo post,
jussu Regis à Duce Norfolkæ apprehensus, cogi-
tur se abdicare primum Cancellariæ magistratu,
quem Rex Tomæ Moro contulit, sperans fore ut
hoc honore & beneficio ad suas partes pertrahi

posset, deinde Vindoniensi Episcopatu, quem po-
stea Stephanus Gardinerus, qui Regi erat à secre-
tis, & Romæ divortii causam paulo ante egerat, ex
dono Regis accepit, tum autem magnificentissimo
à se Londini exædificato palatio, quod Rex ipse in-
vasit: denique pæne omnibus bonis exutus, pri-
mum relegatur in villam Atheriensem, mox in
Eboracensem Archiepiscopatum dimittitur. *En
quomodo fortuna in rebus humanis tumultuetur.* Et
quid aliud est humana felicitas, nisi bestia, quæ
quum ipsa sit fame enectæ, rictui tamen altæris ex-
posita est, ejusque tandem fit præda & cibus. Vol-
sæus male habitus ab eo ipso, à quo ad tantum fa-
stidium ejectus antea fuerat, Aulam deserit, pa-
rum satagens rerum suarum, ut nos spectatores fa-
ciat suæ calamitatis.

HENRICUS REX CUM ANNA BOLENA
matrimonium contrahit: ab Romanæ Eccle-
siæ communionem secedit: crudeliter mul-
ta perpetrat: excommunicatur. Regi-
na Catharina diem suum obit.

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTUM.

- I. *Henricus rex Academias aliquot suarum facit
partium Volsæum munere submovet, non mul-
to post defunctum.*
- II. *Cranmerus impius Cantuariensis Episcopus fit,
ut Henrici flagitium subscribat.*
- III. *Henricus Annam Bolenam, divortii lite adhuc
pendente, uxorem ducit.*
- IV. *Cur tam Pontifex quam Imperator justam de
Henrico ultionem non sumserint, à Pontifice
tamen non multa post excommunicata.*
- V. *Prophetissa quadam matrimonium Henrici &
Anna scelestum pronunciat, sed occisa cum
aliis.*
- VI. *Fischerus Cardinalis & Thomas Morus per sum-
mam injuriam supplicio afficiuntur. Catha-
rina regina diem suum obit.*

I. **H**ENRICUS, toties re infelicitè tentata, eo
magis tamen animum obstinabat cœptam
non omittere, donec effectam dedisset. Itaque (ut
ipsa desperatio spem aliquam adhuc fovet) cum
Cranmerum Cantuariensem Archiepiscopum Ro-
mam, qui causam suam ibi ageret, mitteret, in An-

glicos Theologos eodem secum crimine involuturus, ut matrimonium ipsius cum Catharina illegitimum esse editis in publicum scriptis affirmant, sollicitat: ut si forte summus Pontifex sententiam contra Regem ferret, fucata quædam species ad malitiam eius velandam non deesset. Quin & Reginaldo Polo Anglo qui tunc Parisiis degebat, viro & genere & virtute illustri, & cujus doctrina omnibus admirationi fuit, commissa est cura eos, qui in ista Academia doctissimi essent, in partes regias pertrahendi Sed quum ille tam turpe mandatum excusatione usus à se removisset, delatum est negotium Legato Billupio Comiti Anglico, Romam misso unà cum Doctore Leo, & Stocislao Londinensi Episcopo, quibus additi sunt tres Iurisperiti, & Vrigonelus, Carmus & Benedictus. Hi cum Langæo Gallo egerunt, qui insecutus auro Anglico Theologastros quosdam parvi nomis, quibus charior erat pecunia regia, quam animarum suarum salus, in suas partes adduxit. Testis est huius rei Ferdinandus Brasiliensis Episcopus, cujus hæc sunt in epistola quædam verba: *Nonnulli ex Theologis (inquit) adulerantes verbum Dei, & ambientes favorem hominum, corrupti muneribus & largitione Anglorum (qua moneta est Anglis familiaris) incidere in laqueum Diaboli, & sauerunt partibus Regis contra sui animi sententiam; neque vereor tam aperte hæc proferre, quando testis huius rei sum oculatus.* Idem in Academia Coloniensi tentatum fuisse Petrus Leidenfis commemorat: sed frustra, recusante illa famam precio vanalem facere. De aliis item Germaniæ Universitatibus idem affirmat Ioannes Coehleus, in iis verbis, quæ ad Richardum Morisonum Anglum partes Regis defendentem scripsit. *Offerabatur, inquit, mihi his annis superioribus ampla remunerationis & auri spes, si contra matrimonium Regis cum Catharina, vel ipse scribere, vel Universitatibus aliquot Germaniæ sententias, quales aliquot Gallia & Italia Academia dedissent, procurare voluissim. Sed quum esset ea spes contra conscientiam meam, dixi sicut dixerat in prima sui tentatione Balaam.* Idem etiam auctor memoriam prodidit, Huttonum quendam Regis Consiliarium Hamburgenses & Lubecenses sollicitasse ad diuortii probationem, eundemque paulo post ferro mortis genere Bruxellis periisse. Quidam etiã Crocus simili apud alias gentes largitione Regis nomine usus dicitur. Denique nullus non lapis motus est ad satisfaciendum stultissimæ Regis spei, qui tanta pecuniæ vi non modo aliorum infamiam

& proprium dedecus, sed & eam, quæ sequuta est postea, pœnitentiã emit. Omnium in veritatis defensione constantissimi fuerunt Anglici Theologi, qui nunquam eo usque Regi suo gratificari voluerunt, ut matrimonium ipsius cum Catharina improbarent. Testis est Polus, ad ipsum Henricum in hæc verba scribens: *Non erat dubium, quin hæc tua causa in disputantium scholas illata fautores habitura esset, quum Regem omni sua auctoritate ac opibus propugnantem haberet. Invenit illa quidem aliquos, sed ex iis, quos fames magis, quam fama moveret, nec tamen vel istos tam promptos, quam vos speraveratis, ut quæ initio cum iis, quæ ipsius patrocinium susceperant, in ipso tuo Regno, ex omnibus scholis explorata sit, ipsis etiam defensoribus vario genere contumelia affectis. Nec certe ullo publico ullius Gymnasia Anglicani consensu, ubi consisteret, invenisset, nisi ea, quæ plusquam præces valere solent apud multorum animos, minarum referta Regia litera, aciem jam inclinatam sustinuisset. Quod si his copiis tibi domi pugnare necesse erat: nihil attinet me nunc dicere quibusnam foris uterere.* En quid Polus ad Regem suum scribat, & quæ admodum ipsi ob oculos ponat propriam malitiam, qua corruptus unã secum omnes, corrumpere conabatur. Cantabrigienfis Academia Regi favebat: Oxoniã vero publicum sigillum, doctissimorum hominum, penes quos ibi erat auctoritas communi suffragio sæpius negatum homines pessimi octo clam convenientes, effractis sacri loci foribus, literis in quibus Regis diuortium propugnabatur, affixerunt.

Dum hæc aguntur, redit Lutetia in Angliam Reginaldus Polus, summæ eruditionis opinione florens. Hunc Rex aggreditur, eique, si suam sententiam probeat, optionem dat ut utram malit ex duabus Ecclesiis deligat, Eboracensi & Vintoniensi, ex quarum fructibus plus quam sexaginta millia aureorum, eo tempore colligebantur. Quibus promissis quum nihil moveretur clarissimus juvenis, nondum trigessimæ ætatis annum agens: fratribus eius tamen vehementer contententibus atque urgentibus, tandem coactus est de ratione aliqua apud se dispicere, qua Regi satisfaciens, eius iram averteret. Eam à necessitate suggestam exsequitur, Regem adit: à quo perhumaniter acceptus, quum ea pararet dicere, quæ cogitaret, Deo, qui & corda & linguas hominum dirigit, voluntate, repente sic hæsit lingua, ut verbis exprimere quod animo conceperat, nulla ratione posset. Quumque lo-

quendi

quendi facultas rediisset, nihil eorum effari potuit, quæ meditatus venerat, sed è contrario ea omnia proloquutus est quæ tacere constituerat, Regi impietatem suam & causam iniquitatem ante oculos ponens. Quare tam inopinata Rex mirabiliter commotus, quum sapius Polum inter loquendum occidere cogitaret (ut uterque postea narrare solebat) orationis eius simplicitate ac submissione prohibitus fuit. Porro quidquid in hac matrimoniali causa afferri potuit argumentorum ac rationum; id omne comprehensum conspicitur in iis libris, quos Ioannes Rossensis, Ioannes Holimanns Bristolienfis, Episcopi, Abelus presbyter, & ij septem Iurisperiti, quorum antea mentio facta est, partim Latino, partim Anglico sermone conscriptos super ea re reliquerunt. Apud Hispanos vero idem argumentum tractarunt Franciscus Royas, Alphonfus Vervefus, Alphonfus de Castro, & Sepulveda: Apud Lusitanos, Alvarus Gomefius: apud Germanos, Ioannes Cochleus. Erasmus, ne Regis gratiam amitteret, in nullam partem quidquam affirmare ausus est, donec Regem ab Ecclesia descivisse cerneret. Apud Belgas scripserunt Ludovicus de Schora; apud Italos Cardinales Cajetanus, & Ludovicus Nugarola Comes Veronenfis: apud Celtas pauci quidem, sed tamen iudicium suum interposuerunt de ea causa, Eguinarius Baro, Franciscus Duareus, & Conanus Regius libellorum magister. Denique; ut gerebatur hoc negocium in totius orbis teatro, ita omnium iudicia subibat, aliis huic, aliis illi parti faventibus. Major tamen fortiorque pars ad Regine causam probandam perpetuo inclinabat: quin ausum dicere & veritatem ab eadem stetisse, si modo communi & universali hominum opinioni recte plurimum à Philosophis tribuitur, & vulgo receptum est sine errore, ut quod omnium consensu comprobatum esse ostenditur, id tanquam Dei ipsius testimonio confirmatum admittatur. Henricus omnia infeliciter sibi succedere videns, ut rei suæ melius consuleret, terrorem aliquem Pontifici Romano injiciendum putavit. Itaque Anno millesimo quingentesimo trigesimo palam edixit, ne quis suorum subditorum in Romana Curia citra Regis voluntatem quidquam deinceps peteret aut procuraret. Dum tanto malorum pondere premitur Rex infelicissimus, Volsæus interitum, qui eorum auctor fuerat, in Eboracensi arce inter gaudia & epulas splendide agit quin & mirram suam, quam Rex illi abstulerat, repetere au-

det. Id Rex Volsæi superbia imputans, nec ferendum iudicans, jubet hominem, in ipso die inaugurationi destinato, præsentem nobilium ingenti multitudine, ab Henrico Northumbriæ apprehendi, & Londinum captivum duci. At is in itinere ad Lancastriæ oppidum IV. Calendas Decembris è vita migravit. En scelerum eventum! en fortem hominum! quorum in vita si qua fuit ad tempus malacia & tranquillitas, mox ecce tibi rursus tempestates ac procellas, & post mundanæ felicitatis diem, atram noctem adversitatum. Et est vicissitudo quædam adversæ fortunæ, quæ non simul & semel omnem suum impetum in Volsæum effudit, sed primum eum concussit, tum quum ex aula eiceretur, deinde prorsus prostravit, quum è vivis sublatus est. *Parum fida res est, fortuna blandiens: nam in ipso illo festigio, ad quod nos evexit, calamitatum nostrarum semina exsurgunt, ipsa felicitate, si sit nimia, ex se gignente & sibi accersente ruinæ suæ causas.*

II. Illis ipsis diebus Gulielmus Varamus Archiepiscopus Cantuariensis qui summo studio Regine partes defenderat, ex hac vita ad alteram illam evocatus fuit. Rex quum decrevisset tanti honoris locum & tam opimum beneficium nemini præterquam tali viro dare, qui suæ libidini in omnibus obsequeretur, à Thoma Boleno rogatur, ut id conferat Presbytero cuidam, qui ipsi fuerat à sacello, quem dicebat divortium vehementer approbare atque exoptare, & in omnibus Regis voluntati suam accommodaturum. In quam sententiam quum & Anna Bolena Regi supplicasset, hujus maxime precibus motus dictum presbyterum, Cranmerum nomine, designat Archiepiscopum, sub hac sædissima conditione (verum nihil est tam turpe, quod non ambitioni, nihil nisi proprium commodum spectanti, pulcrum gloriosumque videatur) ut etiam si Romanus Pontifex secundum Regis & Catharinæ matrimonium sententiam forret, ipse tamen ex adverso necessario Catharinam esse repudiandam in Angliâ pronunciaret. Quum autem Rex communitati Sedis Apostolicæ nondum plane renunciasset, necesse erat, ut Cranmerus à Romana Curia suæ dignitatis confirmationem peteret, Dolenda res & pudenda, ad Episcopalem dignitatem per favorem vel importunitatem evehi extremæ ignorantia homines. Itaque quum ille Regis quæ Ecclesiæ majore teneretur studio, & Regis eam esse mentem perspiceret, potius ut Ecclesiæ

¶ dedi-